

vati loquuntur, videmus eam protendi per totam Bosnam proprie dictam<sup>56</sup> ac partes Usora et Soli.<sup>57</sup> Sic territorium ejus pertingebat a flumine Sava usque ad flumen Narenta ac montes Prenj, et a Drina fluvio usque ad vertices montium Kupres et Glamoč.<sup>58</sup> Multas possessiones in tota Bosna et partibus Usorae tenebat.<sup>59</sup> Praeter has vero donavit ei Colomanus, rex Hungariae, a. 1339 magnas possessiones in ditionibus Slavoniae trans fluvium Sava, loco dicto Đakovo.<sup>60</sup> Ecclesia cathedralis, pro cujus aedificatione banus Ninoslaus certam summam pecuniae donavit, in loco Burdo župae Verbosanae fundata fuit.<sup>61</sup> Juxta cathedralem etiam capitulum extitisse videtur.<sup>62</sup> Attamen non multum post illam donationem principis Colomani, migravit episcopus cum capitulo ad novas possessiones ibique fixit sedem pro se et capitulo, atque cathedralem ecclesiam sub nomine Ss. Petri et Pauli aedificavit. Haec translatio vero fuit, si non jam initio medii saeculi XIII, certo tamen sub fine ejusdem.<sup>63</sup> Ex Đakovo (loco extra proprium episcopatum)

sq.; Draganović, o. c. 6 ss; Rupčić B., Entstehung der Franziskanerpfarreien in Bosnien und der Herzegowina und ihre Entwicklung bis zum Jahre 1878, Breslau 1937, 3, nota 11.

<sup>56</sup> De territorio Bosnae proprie dictae in exordio historiae ejus cfr. Klaić V., Poviest Bosne do propasti kraljevstva, Zagreb 1882, 17 ss.

<sup>57</sup> Id bene patet ex circumscriptione possessionum ejus et locorum ex quibus decimas episcopus colligebat. Theiner, Vetera monumenta Slavorum Meridionalium historiam illustrantia, I, Romae 1863, 296 ss. n. 419.

<sup>58</sup> Draganović K., Pregledna karta Katoličke Crkve u Bosni i Hercegovini nekad i danas.

<sup>59</sup> Theiner, Mon. Slav. Mer. I, 298 n. 419.

<sup>60</sup> Theiner, Mon. Hun. I, 172 n. 311; Mon. Slav. Mer., 297—298 n. 418. Đakovo civitas, sita est extra veram Bosnam, trans flumen Sava, in Slavonia, in territorio episcopatus Quinqueecclesiensis. Ita omnes possessiones extra dioecesim bosnensem erant, sed postea illa pars territorii ipsi unita fuit. Đakovo non parvi momenti partem in historia ecclesiae bosnensis agebat. Ratione enim hujus donationis reges Hungariae sibi jus nominationis episcopi bosnensis appropriabant, quae quidem ingerentia magnum influxum in regimine ecclesiae bosnensis secum trahebat.

<sup>61</sup> Theiner, Mon. Slav. Mer. I, 298 n. 419; Mon. Hung. I, 178 n. 304, 314.

<sup>62</sup> Šišić, Studije, 329.

<sup>63</sup> Hoffer, o. c. 100 ss.